

31  
D. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

*MAGNIS INGENIIS, RARO  
FELICIBUS,*



Quam

*Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

*Mag. JOH. BILMARK,*

HISTORIAR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

Publice ventilandam modeste proponit

*FREDERICUS GRÖNSTRAND,*

Stip. Reg. Wiburgensis.

In Audit. Majori die 24 Maji 1798.

Horis 2. m. consuetis.

---

A B O Æ,

TYPIS FRENCKELIANIS

N. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

MAGNIS INGENIIS, RARO  
FELICIBUS,



Quam

PRESIDE

Mag. JOH. BIEMARRK

HISTORICAE AC JURIS, TRACT. THEORICAE, JURIS, ET QUAE.

PRO OR. DE PHILOSOPHICO

Tabulae versitatum et deinde program.

FREDERICUS CRÖWSTRAAND

Slip. Reg. Willingeb.

In Audit. Majori die 24. Maji 1798.

Floris a. m. continet.

A B O E,

Typis FRANKENPLANIS



## PRÆFATIO.

Quamvis anima humana sit Ens simplex; docet tamen experientia, haud minorem in ejusdem facultatibus animadverti diversitatem, quam quæ in corporibus occurrat fere infinita. Aliusenim tam in rerum cognitione comparanda, quam in negotiis suis gerendis ipsa ferme testudine invenitur segnior, dum alius ad instar aquilæ suis adscendit cogitationibus, cuncta facile adeo adsequitur, ut sibi proposita non discere sed reminisci videatur, plerarumque objectorum originem, progressionem et futuras consequentias uno quasi obtutu sibi sistens. Hanc animorum, vel si ita placet, ingeniorum disparitatem ab ipso corporis mechanismo, licet pars altera nostri essentialis in societatem alterius veniat, totam non dependere, nominata constat magistra, qua edocemur, corpori gracili et infirmo magnum subinde animi robur inesse, et ex adverso puerilem ac timidam mentem in grandi ac quadrato corpore nonnunquam habitare. Enimvero quum multiplices sint vocis ingenii significationes, antequam longius in proposito stadio progredimur, definiendum erit, quid per illud intelligamus. Sumitur autem vox illa interdum latiori significato pro complexu omnium animæ humanæ facultatum;

um; nos autem per ingenium hoc loco indigitam volumus certam quandam in quolibet homine imaginationis, memoriæ ac iudicii temperiem; ceterum non ignorantes, præcipuas ingenii, ad disciplinas elegantiores applicati, partes versari in facilitate similitudines rerum observandi. Unde consequitur, Magnum Ingenium esse illam mentem, in qua tres illæ facultates, a nobis jam commemoratæ, eminentiori quodam modo vigorem suum exerant. Scilicet uti magnum appellamus corpus, quod in tres dimensiones multum extenditur, ita magnum dicimus ingenium, quod rebus illis discernendis, quæ communem rerum humanarum spheram transcendere videntur, occupatur, nec objectis difficultatibus a decretorum suorum executione se impediri patitur. Differunt igitur Magnanimitas et Magnum Ingenium in eo præcipue, quod illa condonandis injuriis, et aliis benefaciendi studio eluceat, dum hoc in rebus gravissimis et maxime ancipiibus gerendis suam, qua valet, prædit industriam. De ingenii hujus ad qualitatem conditionis humanæ habitu, et de causis, quæ felicitatis eclipsin eidem nonnunquam adferunt, observationes nonnullas in hac adferemus disertatione; quas ut B. Lector, si eas perlegere dignetur, meliorem in partem interpretari velit, quo par est verborum honore rogamus.

§. I.

Quum Deus, Ens Sapientissimum, facultates longè eximias animæ humanæ non frustra indiderit, nec homines eisdem excolendis vane aut levis tantum voluptatis causa operam impendant, sed tam Donans, quam quisque donatarius, hujus felicitatem intendat; mirum multis obveniet, qui fieri possit, ut magna ingenia, dum per se sunt aptissima felicitati obtinendæ, a nobis tamen nunc

pro-



proponantur ut raro felicia. Profecto culpa desiderata felicitatis præstantiæ ingeniorum non erit tribuenda, sed ipsis hominibus, optimis felicitatis suæ adminiculis rite et ex officii tenore raro utentibus. De veritate autem sententiæ nostræ eo minus est dubitandum, quum saniores Eruditorum inter Gentiles etiam hanc agnoverint, Poætæque NASONIS exemplo hoc constet; cujus quippe eximio ingenio exilium, maximasque inde calamitates deberi, asfatim testantur sua ad Cæsarem verba: *Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli, . . . Ingenio perii, qui miser ipse, meo* (a) Et ad Amicum alio loco scribit: *Gratulor, ingenium non latui se tuum. . . . At nostrum tenebris utinam latuisset in imis! . . . Expediit studio lumen abesse meo* (b). Qualis calamitas etiam in aliis vitæ humanæ scenis obvenit. Haud pauci enim sunt, ingenio prævalentes, qui magnas opes, felicitatis suæ partim tuendæ, partim prorogandæ, adjumenta non quidem leviter dilapidant, sed præpostere ita administrant, ut in deteriorem perveniant sortem, quam qui cum iniqua conflictantur fortuna, sua tenuitate, cui adlueverunt, minus miseri. Quum igitur factum a nobis propositum in dubium non sit vocandum, progredimur, causas dictæ infelicitatis succincte exposaturi, additis selectioribus exemplis, ab Historiæ pensis depromptis et nostram sententiam illustrantibus.

(a) Vid. *Libr. II. Trist. Eleg. I. ab initio.* (b) Vid. *Libr. I. Trist. Eleg. VIII. v. 54 seq.*

## §. II.

Qui magno pollent ingenio, si vice non simplici sunt experti, se ea assecutos litteraria momenta, quæ ultra spheram cognitionis aliorum posita videntur, nimia ingenii sui confidentia se ita capi non raro patiuntur, ut ni-

hil suæ perspicaciæ impervium, modo aciem intendunt, tandem putent. Hinc cristas non aliter erigunt, quam si suo cuncta subescent ingenio, in concepta quacunq; opinione nimis pervicaces; quo quidem modo infelicia sibi non raro parant fata, teste Historia, cum litteraria, tum civili. Consideremus primum Viros Eruditos, qui magno utique valuerunt ingenio, sed quod vel paradoxas opiniones, a se pro veris agnitas, pertinaciter defenderint, vel detectas veritates loco ac tempore, sibi alienissimo propugnaverint, aliorum invidiam et odium, in suam oppressionem directum, in se concitarunt. Nemo, ut opinamur, negaverit, **ARIUM**, Presbyterum Alexandrinum, magnis ingenii dotibus fuisse instructum; qui vero dum Salvatoris nostri **CHRISTI** Divinitatem speciosioribus impugnaret argumentis, quam quibus solide refellendis **CXLIX** Episcopi, qui Niceæ an 324 convenerant, sufficerent; et tranquillitatem Ecclesiæ Christianæ vehementer turbavit, et sibi per totam vitam multas acceleravit arumnas. Notum quoque est, **GALILÆUM** de Galilæis inter primipilares sui ævi Philosophos referendus, gravissime fuisse vexatum, bis carceri mancipatum, nec rogam evitasse, nisi ex amicorum persuasione palinodiam opportune cecinisset; quæ cuncta passus est, quod verum mundi systema, a **COPERNICO** in orbem eruditum postliminio reductum, contra præjudicatam seculi sui opinionem defenderet. Addere his licet exemplum **LAMBERTI**, Sacramentarii non ignobilis, qui ex nimia ingenii atque eruditionis confidentia in pugnam litterariam cum Angliæ Rege, **HENRICO VIII**, disputationibus eruditis eminere cupiente, descendere non dubitavit, sed cui Rex, quod nimis ab eo urgeretur, duplicem proposuit conditionem, ut vel se, a Rege victum publice profiteretur; vel ob suam pervicaciam suspendii poena plecteretur; quam præpotenti adversario cedere nolens, subiit (a). Sed mittamus Eruditos, Heroas

consideraturi, qui ex eminentiori honorum gradu, rebus civilibus administrandis præfuerint; qui vero per nimiam ingenii sui confidentiam et se et suam patriam in plurimas non raro coniecerunt calamitates. In nimia exemplorum huc pertinentium, copia nominasse sufficiat Daniæ Regem CHRISTIANUM IV, de quo legimus, quod amicorum etiam prudentissimorum consilia adeo non tulerit, ut his, quod de republica esset, suadentibus, per contemptum responderet: inter me & avum tuum de ista re jam pridem est conventum (b). Nemo autem, nisi in Historia plane hospes, dixerit, imperium hujus Regis vel ipsi felix, vel Daniæ fuisse proficuum.

(a) Vid. *Essay sur l'Histoire Générale* par Mr VOLTAIRE, Tom. III p. m. 382, 383. (b) Vid. *Baron de HOLBERGS Dänische Reichs Historie*, Tom. II. p. 931.

### § III.

Quamvis verissimum sit Illustris BACONIS de VERULAMIO effatum: *Quod leviores gustus in Philosophia moveant fortassis ad atheismum, pleniore autem haustus ad Religionem reducant* (a), ac proinde esset præsumendum, eum, qui magno præditus est ingenio, admirandam Summi Numinis in hæc sublunaria oconomiam facile agnitarum; accidit tamen non raro, ut magna ingenia, ambitionis præcipue æstro percita, propositiones satis evidentes, quorsum has referimus: quod Deus existat, et providam Ipse rerum creaturarum agat curam, vel in dubium vocent, vel audacter negent. Atque hi fere sunt, qui opinæque, se sublimioris eruditionis gloriam amissuros, nisi aliter, quam cæteri mortales, de rebus majoris momenti sentirent; parum insuper curantes, si circulos cogni-

tionis humanæ turbent, et paradoxis suis opinionibus fucum faciant modestis. Enimvero quamvis Deus pro infinita sua bonitate talibus subinde permittat, absonam scenam ludere; pauci tamen eorum sunt, qui placida fruuntur animi tranquillitate, quæ felicitatis civilis fons est. Quicquid præterea ipsi moluntur, ut propter ingenium celebrentur, cæteri tamen eos ut carcinomata corporis Politici habent, et, si cives sunt, societatem eorum habent infidam, si Princeps, suam dolent sortem. Testamur experientiam docentem, ingenia quædam cæteris superiora, in atheismi et deismi cœno hærentia, quantumvis vel celebria vel in honorum culmen evecta, fuisse tamen vel infelicia vel felicitate per exiguum modo tempus usa. Unicum adduxisse exemplum sufficiat. Quæ et quanta ne fuerunt tam naturæ quam fortunæ bona in Imperatorem JULIANUM, Apostatæ cognomine famosum, a Supremo Numine collata, qui eo pollebat ingenio, ut summis sui ævi philosophis æquiparari posset; cui etiam ex voto ac sæpe præter suam opinionem multa molimina prospere ceserunt. At quum per animi levitatem ingenio suo in præstigiarum ethnicarum tam amplificationem, quam Christianæ religionis oppresionem abuteretur, factum est, ut folium vix adscenderat imperatorium, quam gravi contra Persas prælio victus et laucius in florentissima ætate decederet.

(a) Vid. *Libr. I. De augmentis Scientiarum p. m. 5.*

§. IV.

Multiplici edoctus experientia dudum observavit CICERO: *Molestum hoc esse, quod in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque existant honoris, imperii, potentie ac gloriæ cupiditates* (a). Et profecto hoc molestum

stuna



stam est tam magnis illis ingeniis, quam aliis hominibus; illa enim ut inclarefcendi et supra ceteros eminendi studio flagrant, ita animum dies noctesque non sine ancipiti cura in diversas torquent partes, ut subsidia suæ ambitionis excogitent, atque æmulos sive veros sive præsumptos vel submoveant vel quoque modo opprimant; nullos sibi vel a metu iustissimi Numinis vel a læsæ conscientiæ stimulis remoras injici patiuntur, nec ullam mediorem habent rationem, quorum ad finem propositum perveniendi aptitudinem solummodo considerant, ceterum in gloriæ culmine aliquando reparatura, quicquid contra fas et æquum in nitendo commiserint. Imo amorem in Deum, in patriam, in propinquos et multo magis in alios subordinant gloriæ cupiditati, et super alios eminendi ardori, quo sua fervent pectora. Quod quum ceteri agris ferant animis, ambitioni illorum quævis objiciunt impedimenta; qua collisione tam eorum, quam publica salus in manifestum adducitur discrimen. In cujus rei illustrationem pauca, sed luculenta, ex Historia Romana adferemus exempla. MAGNO ROMULUM, qui ex inficeta pastorum turba maximam condidit civitatem, fuisse ingenio, nemo inficiabitur; summæ autem imperii ut solus præseset, haud dubitavit, fratrem REMUM, suum æmulum, ambitioni suæ immolare; qui autem ita voti compos factus, in ipso gloriæ culmine truculentiori longe, quam frater in campo, succubuit fato. Et quem, nisi in Historia Romana peregrinum, fugit. M. T. CICERONEM, quamvis ingenio maxime sublimi valeret, attamen quod gloriæ, cujus stimulis valde agitabatur, plus satis esset intentus, illiusque cum servandæ tum augendæ causa modo ad POMPEII, modo ad Cæsaris partes, prout fortunæ favorius vel illi vel huic aspiraret, tamdiu transiisse, donec sua inconstantia fatum sibi pararet infelicissimum. Omnium tamen maxime JU-  
LIUS

LIUS CÆSAR suo comprobato exemplo, quod magna ingenia sine raro felicitate suo enim ipse præcipue debuit ingenio, quod ex gravissimis, in quæ sapientissime adducebatur, se eriperet periculis; et ad tantam perveniret potentiam, quam vix ullus Romanorum fuit consecutus; sed in quem quadravit illud Poëtæ effatum: *Tollantur in altum - - - ut lapsu graviore ruant*. Vix enim ad desideratum gloriae ac potentiae fastigium pervenerat, quam in ipsius senatus Romani concessu ab iis, a quibus optima quævis expectare debuit, horrendum in modum fuit trucidatus.

(a) Vid. Libr. I. de Officiis, Cap. VIII.

§. V.

Sicut qui ingenio eminent, vividiori præ aliis gaudent imaginationis facultate, probabilia ut certa, acque possibilia tantum, ut realia, sibi sistentes; ita etiam celeriter nec satis pensitatis, quæ incidere forte possunt circumstantiarum momentis, ad res gerendas se accingunt. Eventu autem eorum intentioni ac molimini non respondente, causam infelicis successus modo in fortunam sibi adversam, modo in alios, ut sibi invidios, conjiciunt, opinionem suorum meritorum quomodocunque conservaturi. Ita vero oculatioribus factum facere non possunt, satis perspicientibus, causam mali in nimia festinatione esse querendam. Addere præterea licet, quod magna ingenia in suo proposito vix unquam acquiescant; sed sicut semper sunt irrequieta, ita etiam sua mutant consilia, et tamdiu ordinant et reordinant, donec eos, quibus in obsequio gloria est relicta, confundant, et in officiorum neglectum sensim adducant. Gentium igitur annales evolventibus cernere licet, non mediocria, sed magna fuisse ingenia, quæ

quæ turbas et factiones excitaverint, tam seipsa, quam universam sæpe rempublicam, quam ex suo administratam voluerunt arbitrio, in præsentissimum ita conjicientia discrimen. Cogitemus solum modo bigam fratrum, Tiberium atque Cajum GRACCHUM, viros in Civitate Romana ingenio florentissimos, ceu eos, ut alia reticeamus elogia, appellat VELLEJUS PATERCULUS (a; qui vero aditum sibi ad supremos honorum gradus paraturi, populi que favorem per leges agrarias aucupaturi, gravissimos in patria excitarunt motus, sibi que exitum vitæ maxime tragicum accelerarunt.

(a) Vid. *Histor. Roman. Libr. II. p. m. 24.*

§. VI.

Præterea quum cuncta in bello summa vi gerantur, viresque proinde tam animi, quam corporis tantum, quantum humana fert conditio, intendantur; magna quoque ingenia inde ab antiquissimo ævo arenam Martis aptissimum habuerunt theatrum, in quo suam perspicaciam et industriam in seculi sui admirationem explicare possent. Præsumi omnino deberet, neminem in ancipitem hanc aleam, nisi gravissima provocatum injuria, descensurum; sed proh! dolor, propter amplissimam gloriæ segetem in hoc campo metendam, sagatis Heroibus, teste Historia, sæpe fuit satis, speciosas rationes in vindicias justitiæ suæ causæ adduxisse. Demus autem, exitum belli fuisse voto Principis belligerantis convenientem, victoriamque fuisse fidam signorum suorum adsecutam, num ita felix habendus? Oculis perlustremus medium illud, quod inter belli cujusvis initium ac finem interjacet; quam horrenda ne se nobis offerunt spectacula, quot stratorum hominum cumuli, florentissimarum urbium exustiones, cultissimorum agro-

B rum

rum everfiones, verbo omnes defolationes, quæ a furore et eurato humanitatis fenfu provenire folent; licet magnum ducis ingenium in acie rite ordinanda nec, non in moliminibus hoftis cum præveniendis, tum opportune in eum retorquendis fatis eluxerit. Nec tamen de mera felicitate fibi interea gratulatur Victor, cujus animum anticipes curæ die nocteque occupant, et graviffimis vitæ periculis, militum alacritatem ac fortitudinem fuo excita urus exemplo, fe fape ingerere cogitur. Florentiffima civium fuorum pars a dulcibus abducitur penatibus, feipfam privans tranquillitate, quam hofti eripit. Et quum fumtibus bellicis faciendis reditus confueti vix unquam fufficiant, majora civibus imperantur tributa; unde demum evenit, ut facultates populi exhauriantur, et civitas graviffimo exponatur discrimini. Concedimus equidem, poft belli finem, quem exhaustæ belligerantium vires faciunt neceffarium, Principes acceptis cicatricibus et calamitatibus medendis operam fumtusque impendere; quod certe laudandum; multo tamen eft laudabilius, nulla alicui inferre damna, quam illata utcunque reparare. Specialia non adferemus exempla, quæ adfatim docent, quantum ingeniorum portenta, in bellum intenta, fuæ nocuerint civitati, utpote et notiora, quam ut ignorari, et triftiora, quam ut fine commotæ humanitatis fenfu enarrari queant.

### §. VII.

Quum denique magna ingenia fuo nimium indulgeant fpeculationibus, ad imitationem Phærontis illius, de quo Iœtæ canunt, plus ultra tendunt, nec tam rebus gerendis fe accomodant, quam negotia fuo fystematibus, invita plerumque rerum natura, attemperare fatagunt. In Senatu gentium, quoties eidem affident, publicam quidem

sem salutem, magis tamen adhuc suæ auctoritatis incrementum quærunt, unde graves de rebus minoris momenti sæpe existunt controversiæ; quibus fit, ut excelsa ingenia multas sibi ipsis creent molestias, et in causa sint, quare negotia publica vel procrastinentur, vel perverse administrantur. In sententiæ nostræ illustrationem citare liceat Cornelium TACITUM, Scriptorem, si quis fuit alius, et acutissimum et prudentissimum; sed, ut apparet, in rebus gerendis minus versatum; de quo commemoratur, quod qui tanta et tam eximia regnandi præcepta dederat, ei, gubernationi Africæ admoto, nihil tot profuerint aurea dicta, quæ Romæ in otio scripserat, nihilque aliud, quam turbas et seditiones, quas componere non posset, excitaverit (a). Cui adjungere liceat HUGONEM GROTIUM, propter suum ingenium, quod obrinuerat vere seculare, extorrem, in luce tamen Europæ viventem: de quo scribit Illustris AMELOT: *Le fameux Hugues de Grot, durant la sienne Ambassade en France, se montra aussi mal habile homme d'état, que l'habile en tout le reste.* (b). Alia insuper ingenia, quæ magna habentur, in honorum culmine posita, nimium plerumque adfectant splendorem; quo tamen ipso suas cito exhauriunt facultates, miseriæ juxta et aliorum contemptui ingravescente ætate expositi, imo si occasio ferat, reditus publicos vel dissipantes, vel rebus ludicris, ommissa necessariarum cura, impendentes. Quam multi ne æmulantur PERICLEM, ingenii et magnorum in suam patriam meritorum laude haud defraudandum, sed nec domi felicem, nec civibus suis semper probatum; de quo præeunte PLUTARCHO, hæc inter alia refert Dn. ROLLIN: *Periclès, par la force de son éloquence, et par l'adscendant qu'il avoit prit sur les esprits, deconcerta plusieurs fois les projets du peuple, qui ne respiroit que la guerre. Il rendit par là un grand service*  
à sa

à sa patrie, et il lui auroit épargné bien de malheurs, s'il avoit jusqu'à la fin tenu la même conduite. Il avoit de bonnes vûes en dominant; mais il vouloit dominer seul, et c'est ce qui le porta à faire exiler les meilleurs Sujets, et les plus capables de servir la republique, par ce qu'ils balançoient son autorité. Enfin craignant pour lui même un pareil sort, et sentant que son credit diminuoit tous les jours, pour se mettre en sûreté il alluma une guerre, dont les suites furent très-funestes à sa patrie (c). Sed plura in argumenti hujus illustrationem adferre, habitus rerum mearum non permittit, quare manum de tabula.

(a) F. REINHARDI Theatrum prudentiæ Elegantioris, p. 720. (b) Dans son Tibère Chap. 298 fol. 712. (c) Methode pour étudier, Tom. III, p. m. 322, 323.

S. D. G.

